



BAsilius in Silesia natus est anno 1520. Is in patria prima literarum fundamenta optimè percepit, atq; tandem amore literarum alias hinc inde academi-
 as uisitauit. Deinde in Saxoniam uenit, & Vuitebergæ diligentem operam studijs nauauit. quo factum ut doctissimis uiris connumeratus fuerit. Postea Quedelburgi in Saxonía scholæ præfectus est. Ibi iuuentutem instituit, atq; absentium quoq; studia iuuare conatus est. Cum enim Germanicæ lingue elegantiam didicisset, Lutheri commentaria in Genesim in uernaculã conuertit. pari ratione Crantzij Chronica Germanicè reddidit. Huius uiri uirtutes Vuilhelmus Eccius Radensis uir doctissimus

Vuirtzburgi præteriens retulit, atq; eum multa meditari & scribere significauit. Itaq; cuperem, ut eius & huiusmodi multorum per Germaniam illustrium uirorũ uitę mihi notiores essent, quò copiosius omnia describere, & huic operi inferere possem. Verùm cum id desit, tantùm nomina per catalogum annotasse sufficiat, donec commodior occasio oblata fuerit, ut saltem quædam eorum elogia extent. Anonymos.